

BULA DE CRIAÇÃO DA DIOCESE DE PETRÓPOLIS¹

(Latim / Português)

Pius Episcopus Servus Servorum Dei ad Perpetuam Rei Memoriam.

Pastoralis ipsa urgemur, Ecclesiarum omnium sollicitudine a Nobis exigit sollertis studio curare ut, si qua sit in catholico orbe dioecesis nimio redundans territorio, pars ab ea dismembretur et nova ex inde erigatur dioecesis alterius Pastoris curae et regimini concredenda. De venerabilium itaque Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Consistorialibus praepositorum consilio, habito quoque Nuntii Apostolici apud Brazilianam Rempublicam favorabili voto, libenter excipiendo duximus preces venerabilis Fratris Joseph Alves Pereira, hodierni Episcopi Nictheroyensis, qui ab hac Apostolica Sede expostulavit ut, ad maiorem Christifidelium utilitatem, a territorio suae Dioecesis, quae per nimis amplam regionem se extendit, pars separaretur atque exinde, duabus adiectis Paroeciis a Dioecesi Barrensi de Pirahy, istius Ordinatio in hoc consentiente, seiungendis, nova erigatur Dioecesis, alteri concredenda Pastori. Suppleto igitur, quatenus opus sit, aliorum quorum intersit vel quae sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis, certa scientia, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a, quam supra diximus Dioecesi Nictheroyensi territorii partem distrahimus has complectentem paroecias: São Pedro d’Alcantara de Petropolis, S. Antonio do Alto da Serra, San Norberto, Cascatinha, Itaipava. São José do Rio Preto, S. Antonio do Alto da Serra de Sebastiana, Nossa Senhora da Piedade de Magé, S. Nicolau de Surui, Inhomirim, Gabimirim, Nossa Senhora da Guia de Pacopaiba. S. Ana de Tiradentes, Nossa Senhora da Conceição de Bemposta, N. Senhora das Dores de Areal, Nossa Senhora do Pilar. Item a Dioecesi Barrensi de Pirahy duas seiungimus paroecias videlicet S. João de Merity et Caxias. Ex ita avulsis a Dioecesibus Nictheroyensi et Barrensi de Pirahy territoriis novam erigimus dioecesis episcopalem sedem in ipsa “Petropolis” urbe a qua Dioecesi nomen mutuatur, constituimus, eamque propterea ad civitatis episcopalis fastigium extollimus eique tribuimus iura omnia et privilegia qua ceteris episcopalibus civitatibus competunt. Episcopi vero cathedram in ecclesia Deo in honorem S. Petrus de Alcântara dicata, in eadem urbe exstante, figimus illamque idcirco ad Cathedralis Ecclesiae gradum et dignitatem bimus eique et Petropolitanis pro tempore Episcopi omnia tribuimus iura, honores, insignia privilegia, favores et gratias, quibus ceterae Cathedrales Ecclesiae earumque Antistites iure communi gaudent illosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus quibus ceteri adstringuntur. Novarum porro hanc Petropolitanam Ecclesiam suffraganeam constituimus Metropolitanae Ecclesiae S. Sebastiani Fluminis Januarii et Petropolitanos pro tempore Episcopos metropolitico iuri Archiepiscopi S. Sebastiani Fluminis Januarii subiicimus episcopalem mensam constituent Curiae emolumenta et oblationes, quae a fidelibus praeberi solent praeter ea quae ad hunc finem iam collecta sunt. Quod vero attinet ad eiusdem Dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis sede vacante, electionem

ad clericorum et fidelium iura et onera, aliaque id genus servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Quum autem praesentis temporis adiuncta haud permittant quominus in nova ista dioecesi Canonorum Capitulum modo instituat, indulgemus ut interim, pro Canonis, Consultores dioecesani ad iuris tramitem obligantur et adhibeantur. Quod clerum peculiariter spectat volumus ut, simul ac hae Litterae Nostrae ad executionem demandatae fuerint, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur adscripti in cujus territorio legitime degunt. Mandamus insuper ut in Petropolitana Dioecesi quam primum fieri poterit, saltem parvum Seminarium iuxta Codicis Iuris Canonici praescripta et normas a S. Congregatione de Seminariis et Universitatibus Studiorum traditas exigatur. Volumus vero ut duo electi iuvenes, aut modo saltem unus, ab hoc quoque Dioecesi eiusque sumptibus alendi ad Collegium Brazilianum de Urbe non intermissa vice mittantur ut, sub oculis fere ipsius Romani Pontificis, in spem Ecclesiae instituantur. Volumus denique ut ad dioecesium Nictheroyensis et Barrensi de Pirahy cancellariis documenta omnia et acta, quae novam Petropolitanam dioecesim respiciunt, istius Dioecesis cancellariae tradantur ut in eius archivo diligenter serventur. Ad quae omnia ut supra disposita executioni mandanda venerabilem Fratrem Carolum Chiarlo Aechieposcopum titulare Cluni denum ac Nuntium Apostolicum apud Brazilianam Rempublicam, deligimus, eique propterea necessarias ad id et opportunas tribuimus facultates etiam subdelegando ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum eique onus facimus authenticum peractae executionis actorum exemplar ad S. Congregationem Consistorialem quamprimum transmittendi. Praesentes autem Litterae et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet, quorum intersit vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato defecti notarii impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et, fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, qua vis auctoritate, scienter vel ignoranter contingerit attentari, irritum pressus et inane esse ac fore volumus et decernimus; non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus² et ordinationibus apostolicis et quibusvis Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce praesentibus Litteris tribueretur si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis statuti, mandati, decreti, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere, vele ei contraire liceat. Si quis vero ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursum. Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo sexto, die tertiadecima Aprilis mensis, Pontificatus Nostri anno octavo. A.L.

Cardeal Januário Granito Signatelli, de Belmonte, Decano do Sacro Colégio
Frei Rafael Carlos, Cardeal Rossi, da Sagrada Congregação Consistorial e
Artur Mazzoni, Protonotário Apostólico
Bernardo de Felicis, Protonotário Apostólico
Alfredo Liberati, Auditor do Conselho Apostólico para Estudos

Expedido a 7 de junho
Alfredo Marini, aplicador no “sigilo” (selo)
Registrado na Chancelaria Apostólica, Volume LXXI, nº. 62 - Luiz Trussardi
Domingos Francini, responsável pelo Arquivo.